affluentia erit cor nostrum ebrietate et crapula magis noxia pergrauatum. Illam quia saeculares curae. etiam in nos qui nullis actibus mundi istius admiscemur. cadere non numquam possunt. manifesta ratione monstratur secundum regulam seniorum. quod quidquid necessitatem uictus cotidiani. et euitabilem usum carnis excedit. ad saecularem definiunt curam et sollicitudinem pertinere. ut ubi gratia. si cum possit operatio unius solidi necessitatem nostri corporis expedire. duorum uel trium solidorum adquisitionem nos metipsos prolixiore uelimus opere ac labore distendere. et cum duarum uelamen sufficiat tunicarum ad usum scilicet noctis ac diei. trium uel quattuor fieri domini procuremus. et cumque unius siue duarum habitatio sufficiat cellularum. ambitione saeculari atque amplitudine delectati. quattuor seu quinque cellas et has easdem exquisito ornatu et capaciores quam usus desiderat extruamus. et passionem libidinis mundialis in quibus possumus praeferentes.

crapula sobrii absque usu et ebrietate uini et epularumque omnium deliciis et

VI.

Quod non sine instinctu demonum fieri manifestissima nos experimenta docuerunt. Nam quendam probatissimum seniorum. cum insideret iuxta cellam cuiusdam fratris. hac animi quam diximus egritudine laborantis. ut pote qui in extruendis reparandisque superfluis inquietus cotidianis distentionibus insudaret. et eminus conspexisset eum grauiu malleo saxum durissimum conterentem. uidissetque ethiopem quendam astantem illi. et unam cum eodem ictus mallei iunctis consertisque manibus illidentem. eumque ad opus illud instantia ignitis facibus instigantem. diutissime substitit. uel in impressione dirissimi demonis uel fraude tantae illusionis admirans. Cum enim nimia lassitudine fatigatus frater requiescere iam finemque operi uoluisset inponere. instigatione spiritus illius animatus. iterum resumere malleum nec desinere ab intentione coepti operis urgebatur. ita ut illius de eius incitamentis infatigabiliter sustentatus tanti laboris non sentiret iniuriam. Tandem quoque senex tam dira demonis ludificatione permotus ad cellam fratris deue